

CAPUT II

De Præludiis Breviarii Romani

ARTICULUS I

DE COMPUTO ECCLESIASTICO

Q. 79. *Quid intelligitur per Computum Ecclesiasticum?*

R. Per Computum Ecclesiasticum intelligitur ratio computandi varia tempora anni ecclesiastici, præsertim Pascha, et certificandi tempus secundum solis et lunæ progressum.

Dici vix potest, quanta cum sollicitudine curatum per veteres canones sit, ut Presbyteri notum haberent Computum Ecclesiasticum.

Postea per Concilium Tridentinum sancitum quoque fuit (Sess. XXIII, Cap. 28, de Reformatione) quod juvenes in Seminariis recepti « Comuti Ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam dissent ». Etiamsi Comuti notionis necessitas hodie minor existat, ex quo quotannis ab Ordinariis locorum edantur Kalendaria, seu Ordines, seu Directoria ecclesiastica, in quibus Festa et Officia per annum assignantur, attamen de valore Tridentinæ sanctionis nihil hucusque detractum fuit, et jure optimo præscribitur ut clerici illis materiis erudiantur, quæ ad usus ecclesiasticos, ad intelligentiam Missalis ac Breviarii, atque ad ordinanda Festa mobilia scitu necessaria sunt. (Cfr. Nilles, *Selectæ Disputationes Juris ecclesiastici*. Fasciculus I. Disput. III. *De studio rei Kalendariæ*. (Eniponte, 1886.)

Variæ his ultimis annis editæ fuerunt explications Comuti Ecclesiastici; qui cupiunt ejus notionem perspicuo necnon perutili modo propositam, utrumque reperient in præclaro opusculo : « *Essai sur la théorie du Calendrier. Comput ecclésiastique*, par F. J. Piscé. Malines, Dessain. 1887.

Q. 80. *A quo momento computatur in Ecclesia diei initium?*

R. 1º Pro præceptis colendi dies festos, observandi jejunia ecclesiastica, quivis dies a media nocte initium, mediaque nocte quæ sequitur finem accipit. Item pro lucrandis Indulgentiis, si deest in Indultis ulla clausula, juxta Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, 12 Januarii 1878 (n. 434, ad 1).

2º Pro Horis canonicas, Ecclesia diem Hebræorum assumit, et in Festis Officia divina a (primis) Vesperis ad (secundas) Vespertas celebrat, diem ecclesiasticum ita a vespera in vespere computando : « A vespera usque ad vespere celebrabitis sabbata vestra. » (Levit. XXIII, 32.)

3º Ad diem natalem alicujus Sancti quod pertinet, Ecclesia plerumque diem illum Sancto natalem assignavit, in cuius aliqua hora a media nocte ad medium noctem contigit ipsum ex hac vita transire.

Q. 81. *Quis est mos ecclesiasticus designandi dies hebdomadæ?*

R. Ecclesia dies distinguit nomine Feriarum, dato Feriæ I nomine Dominicæ, cui succedunt secunda et sequentes usque ad sextam, et retento Feriæ VII nomine Sabbati. Ita statuit S. Silvester Papa, quo Feriarum nomine significaretur, quotidie clericos, abjecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. (Cfr. Lectio VI in Festo S. Silvestri, 31 Decembris.) In Kalendario dies signantur septem prioribus alphabeti litteris, quæ totidem diebus hebdomadæ respondent : prima Januarii dies signatur littera A, sequentes usque ad septimam litteris B ad G, dein ab octava Januarii eadem repetuntur litteræ ; ita ut per totum annum juxta numerum hebdomadarum anni quinquages et bis occurrant ($52 \times 7 = 364$), littera A vero pro superflua die, nempe 365^a, quinquages et ter adhibetur.

Q. 82. *Explica usum litteræ Dominicalis.*

R. Si prima Januarii dies quæ littera A signatur, Dominicæ est, Dominicæ erunt omnes totius anni dies

eadem littera in Kalendario signatae usque ad ultimam anni diem inclusive; unde anno sequenti, qui initium proinde a Feria secunda sumet, littera A designabit Ferias secundas, dies Dominicas vero designabit littera G; et ita porro omnes istae litterae designabunt dies Dominicas uniuscujusque anni successive, sed ordine retrogrado. Itaque si anno 1902 littera Dominicalis est E, anno sequenti 1903 erit D.

Q. 83. *Describe distributionem, more Romano, dierum in mense.*

R. Distribuuntur in tres ordines, scilicet Kalendas, Nonas et Idus. — Kalendæ prima cujuslibet mensis die occurunt. — Medium circiter mensis tenent Idus, quæ contingunt, vel in die 15^a, scilicet mensium Martii, Maji, Julii et Octobris; vel in die 13^a, scilicet reliquorum mensium. — Nonæ sunt nona dies ante Idus; contingunt ergo in die 5^a vel 7^a mensis, prout Idus sunt 13^a vel 15^a die mensis. — Reliquæ dies inter Kalendas, Nonas et Idus, ab his ipsis diebus numerantur, sed a retro, usque ad diem alterius denominationis; ex. gr., 2^a Januarii dicitur *Quarto Nonas Januarii*, id est, quarta die ante Nonas; sequitur *Tertio Nonas Januarii*, pro die 3^a etc.; 6^a Januarii dicitur *Octavo Idus Januarii*; sequuntur *Septimo, Sexto, Quinto*, etc., *Idus Januarii*, pro diebus 7^a, 8^a, 9^a, etc., Januarii; 14^a Januarii dicitur *Decimo nono Kalendas Februarii*, id est, die 19^a ante Kalendas Februarii; sequentibus successive retro nominatis, scilicet: *Decimo octavo* —, *Decimo septimo* —, ..., *Tertio Kalendas Februarii*. Notandum, quod ultima dies ante Nonas, Idus, vel Kalendas, numquam dicitur *Secundo Nonas*, *Secundo Idus*, vel *Secundo Kalendas*, sed designatur per nomen *Pridie*, nempe *Pridie Nonas*, *Pridie Idus*, *Pridie Kalendas*.

Q. 84. *Quandonam Ecclesia inchoat annum?*

R. Olim computabatur a sancto die Paschæ; verum a sæculo VI placuit notare annorum tempora ab Incarnatione, et postea etiam a Nativitate Domini.

Hodiedum: 1^o in subscriptione Brevium Pontificiorum anni initium ducitur a die Nativitatis Domini; 2^o in Bullis sub plumbo datis, notatur a die Incarnationis.

nis Verbi; 3^o in divinis Officiis Ecclesia annum inchoat ab Adventu Domini, qui incipit a Dominica quæ propinquior est Festo S. Andreæ Apostoli, vel quæ incidit in hoc Festum occurrens 30 Novembris; 4^o in foro et publicis negotiis, ab initio Januarii annus inchoatur.

Q. 85. *Quomodo dividitur annus ecclesiasticus?*

R. In Kalendario Sanctorum dividitur sicut annus civilis, et menses duodecim habet, quorum primus olim erat Martius, uti et hodie probant nomina mensium Septembris, Octobris, Novembris et Decembris, qui tunc erant anni menses septimus, octavus, nonus et decimus, licet hodie ex quo Januarius est mensis primus, sint menses in anni civilis ordine nonus, decimus, undecimus et duodecimus.

Prout vero per annum occurunt Festa et Officia de Tempore, annus ex intentione Ecclesiæ mentis oculis subjicit Christi Domini vitam, mortem et resurrectionem, necnon regni ejus originem atque incrementum post Spiritus sancti adventum, et tres Cyclos habet, scilicet Cyclus Nativitatis, Cyclus Paschatis et Cyclus Pentecostes.

Cyclus Nativitatis complectitur: 1^o præparationem ad Festum Nativitatis per exspectationem seu Adventum, qui quatuor Dominicas præcedentes numerat; 2^o ipsum Festum; et 3^o quæ sequuntur Festivitates, et Officia, usque ad Septuagesimam, adjuncto Festo Purificationis; quibus celebrantur infantia, vita privata et initium prædicationis Christi.

In Cyclo Paschatis, qui mobilis est et quotannis diverso tempore occurrit, habentur: 1^o præparatio ad Pascha per Quadragesimam, cuius præludium est tempus a Dominica Septuagesimæ currens; 2^o ipsum Festum; 3^o quæ sequuntur usque ad Octavam Ascensionis Domini, vel potius usque ad Feriam VI post hanc Octavam inclusive. (Non itaque eosque se extendit Cyclus Paschalis, quoque Tempus Paschale, per quod regitur specialis modus recitandi Officia divina celebrandique Missas; Tempus Paschale explicit tantum post Nonam et Missam Sabbati infra Octavam Pentecostes.)

148 (Q. 86-88) De Computo Ecclesiastico

Cyclus Pentecostes, qui sequitur mobilitatem Cycli Paschatis, complectitur: 1º Vigilam Pentecostes; 2º ipsum Festum; 3º totum tempus sequens (in quo celebrantur præcipua Festa SS. Trinitatis et SS. Corporis Christi) quod currit usque ad finem anni ecclesiastici, per hebdomas circiter viginti quatuor.

Q. 86. *Explica terminum « anni bissextilis ».*

R. Annus in serie quatuor annorum ultimus, cui una dies additur (constituta ex sex horis quæ singulis annis supra 365 dies supersunt), dicitur bissextilis, quia dies addititia (4×6 horæ = 24 horæ, seu una dies) alligatur sextæ ante Kalendas Martii (24 Februarii), quæ bis in Kalendario ecclesiastico numeratur. Nota quod Kalendarium civile post 28 Februarii addit 29^{am} diem. — Alligatur hæc dies addita mensi Februario finienti, quia olim anni finis tunc erat, ut dictum fuit supra Q. 85.

Q. 87. *Quæ est consequentia hujus insertionis, tum in Kalendario, tum in Martyrologio?*

R. (Cfr. in Breviariorum Kalendarium ad mensem Februarii). Officium et Commemoratio Vigiliæ S. Mathiæ omittitur VII^o Kalendas Martii (23 Februarii), et transfertur ad VI^o Kalendas (24 Februarii); item Festum S. Mathiæ transfertur a VI^o Kalendas Martii (24 Februarii) ad VI^o Kalendas Martii (secundo) (25 Februarii). — Littera F quæ designat hebdomadæ diem, bis servit, 24 et 25 Februarii, et Littera Dominicalis quæ assumpta fuit a principio mensis Januarii usque ad hanc diem, mutatur in præcedentem; ex. gr., si a Januario hucusque fuerit C, mutatur in præcedentem quæ est B (ita res se habet anno bissextili 1904); si fuerit E, mutatur in D (anno 1908); unde in Tabellis duæ notantur Litteræ Dominicales pro hujusmodi anno bissextili.

Q. 88. *Indica causam ex qua anno 1582 annus solaris in Kalendario recesserat diebus circiter decem a cursu solis. Quomodo errorem præteriorum annorum correxit Gregorius XIII? Quid idem Pontifex statuit ut in posterum idem error vitaretur?*

R. I. Cum annus habeat dies 365, et horas fere sex,

De Computo Ecclesiastico (Q. 88) 149

ad quarum complementum minuta 11 deficiunt, et illæ sex horæ diu pro integris supputatæ fuissent, factum est ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut constituerint, inde a Concilio Nicæno (anno 325) ad annum 1582, dies decem, quibus æquinoctium vernum, quod ad XII^o Kalendas Aprilis (21 Martii) a Concilio fuerat constitutum, a sua sede recesserat: unde error pro celebratione Paschatis necessario oriebatur.

II. Gregorius XIII huic malo occurrentis, ut æquinoctium vernum ad XII^o Kalendas Aprilis restitueretur, statuit (Bulla *Inter gravissimas*, 28 Februarii 1582) ut dicti decem dies in mense Octobris anni 1582 eximerentur, et post 4 diem Octobris, S. Francisco sacram, sequens dies esset non 5 sed 15 Octobris. Correctio facta fuit mense Octobris, quia in detractis diebus pauci dies festi tunc temporis occurabant. — Hac nocte, 4 inter et 5 Octobris, animam Deo reddidit S. Teresia, cuius, juxta præsentem emendationem, dies mortis ab Ecclesia habita, et Festi celebratio statuta fuit Idibus (15) Octobris. (Cfr. Breviarium, Lectio VI in Festo S. Teresiæ.)

Hæc emendatio statim a Catholicis omnibus in usum deducta fuit. Protestantes Germaniæ tantum anno 1700, Angliæ tantum anno 1752 Catholicis accesserunt, sola respectu Paschatis remanente differentia apud Germanos, quæ tamen etiam anno 1778 sublata fuit. Russiaci vero, et Græci schismatici, necnon plerique Græci Catholicæ qui cum schismaticis permixte vivunt, nondum correctionem Gregorianam receperunt: unde differentia eorum Kalandariorum a Gregoriano hodie tredecim jam dierum est, ita ut 1 Januarii 1901 apud eos tantum occurrit, quando notatur 14 Januarii nostri Gregoriani Kalandariorum; quod notatur in documentis sequenti modo: $\frac{14}{1}$ Januarii 1901 novi styli veteris styli; vel 14 Januarii n. s., vel 1 Januarii v. s. — Fertur Russiacos hodie cogitare de Kalandario Gregoriano recipiendo.

III. Quoniam vero memorata 11 minuta spatio annorum 131 faciunt summam integræ diei circiter, et tractu annorum 400 efformant tres dies, a singulis tribus sæ-

150 (Q. 89, 90) De Computo Ecclesiastico

culis successivis Gregorius XIII demit unam diem in annis centesimis 1700, 1800, 1900, relichto quarto sæculo integro; quare statuit, ut post annum 1600, anni centesimi non omnes bissextiles essent (Februario dies 29 continente), sed in quibusque quadringentis annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur, quartus vero quisque centesimus esset bissextilis. — Quapropter annus 1900, licet quartus post bissextilem 1896, ipse bissextilis non fuit; et primus bissextilis post 1896 occurrit tantum anno 1904.

Q. 89. *Quid est aureus numerus?*

R. **Aureus numerus** est Cyclus seu Periodus 19 annorum, quibus evolutis novilunia ad easdem dies recurrent. **Aureus numerus** anni 1904 indicatur 5; id est, annus 1904 est quintus Cycli seu Periodi, qua ab anno 1900 incepit nova series noviluniorum, quæ recurrent iisdem diebus quibus advenerant ante 19 annos. — Vocatur **Aureus numerus**, quia Athenis quotannis indicabatur aureo signo in monumento quodam publico; dicitur etiam **Cyclus decennovennalis**, **Cyclus Lunaris**. Ejus usus est ad determinandum Festum Paschatis.

Q. 90. *Quid est Epacta?*

R. **Epacta** est numerus indicans ætatem lunæ quæ lucet ad 1^{am} Januarii. — Cum annus solaris habeat dies 365, annus lunaris vero dies tantum 354, solariisque ideo excedat lunarem diebus numero 11, sequitur quod anno sequenti novilunia contingent 11 diebus prius quam anno præcedenti, seu quod 11 dies debeant adjungi (*ἐπάγειν*) anno lunari, ut æquet annum solarem: dies 11 adjungendi constituant Epactam sequentis anni; inde si dicitur Epactam primi anni esse 11, secundi anni Epacta erit 22, tertii vero 3, rejectis a numero 33 diebus 30 qui constituunt lunctionem. Anno 1904 Epacta notatur numero XIII; hoc significat lunam quæ 1^a Januarii lucet jam absolvisse dies tredecim mensis lunaris (et revera ultimum novilunium anni 1903 indicatur in Kalendario ad 19 Decembris); et ideo post dies septemdecim incipientis anni 1904 haberi novilunium; (primum novilunium anni 1904

De Computo Ecclesiastico (Q. 91, 92) 151

adsignatur 18 Januarii). Ultimum novilunium anni 1904 indicatur ad 8 Decembris; igitur Epacta sequentis anni 1905 notabitur numero XXIV. — In Kalendario Breviarii Romani Epactæ indicantur numeris triginta, ordine retrogrado juxta singulos dies mensis positis (trigesima notatur non numero sed asterico); et quoties occurret per annum numerus Epactæ pro anno assignatae, incipiet hac die novilunium. Notandum vero remanet, novilunium indicatum in Kalendariis ecclesiasticis non semper correspondere indicationi datæ juxta computum astronomicum.

Q. 91. *Quid est Indictio Romana?*

R. **Indictio Romana** est periodus 15 annorum a 1^o ad 15^{um}, quibus revolutis, iterum redditur ad unitatem: quilibet annus hujus Cycli in Bullis Pontificiis usitati initium sumit a 1^a Januarii. Incepit usus hujus Cycli anno post Christum natum 313, sub Constantino magno, qui in favorem civium statuit, anno 312, quod, post singulum 15 annum sequentem, fieret nova æstatio bonorum, nova repartitio tributorum, etc.

Anno 1902 Indictio indicatur XV; est igitur decima quinta periodi, quæ anno 1888 incepit, postquam præcedens terminata fuerat anno 1887. Hæc Indictionis periodus ergo anno 1902 terminum suum habet, unde annus 1903 primus erit est periodi incipientis, et pro eo indicatur Indictio I; pro anno 1904 indicatur Indictio II.

Q. 92. *Quid est Cyclus Solaris?*

R. **Cyclus Solaris** est periodus 28 annorum, quibus revolutis, Litteræ Dominicales recurrent eodem ordine. Dicitur Solaris, non quod motum solis aliquem designet; sed quia ejus ope ordo Litterarum Dominicarum dignoscitur: Dominicus dies enim olim dies Solis appellabatur. Non est amplius in usu post reformationem Kalendarii, et unice inservit ejus indicatio ad dignoscendum Litteras Dominicales annorum ante Kalendarii reformationem.

Annus 1904 est nonus periodi quæ incepit anno 1896, ideoque numerus 9 indicatur pro Cyclo Solari hujus anni.

Q. 93. Quid est Littera Martyrologii?

R. Littera Martyrologii est littera quæ per numerum, in Martyrologio singulis anni diebus sub ea subscriptum, indicat quota luna sit pronuntianda singulis diebus totius anni. Litteræ Martyrologii, numero triginta, nihil aliud sunt quam Epactæ, quæ in Martyrologio non numeris sed triginta diversis litteris minusculis ac majusculis. notantur, ne forte in Luna pronuntianda fieret error aut confusio inter numeros Cycli Epactarum, et numeros designantes quot dies habet Luna. Litteræ in hunc finem assumptæ sunt a ad u minusculæ, et A ad P majusculæ, omissa littera o minuscula, et bis assumpta littera F majuscula.

Anno 1904 Epacta est XIII, cui correspondet in tabella Litterarum Martyrologii littera n minuscula : sub littera n ad 1^{am} Januarii notabitur luna 14^a; 2^a Januarii luna 15^a; et ita successive pro omnibus diebus anni. Ad 31 Decembris hujus anni notatur sub littera n luna 24^a; ut dictum fuit Quæstione 90, Epacta seu ætas lunæ ad incipientem annum sequentem 1905 est igitur XXIV; huic Epactæ correspondet littera E majuscula, quæ erit Littera Martyrologii pro sequenti anno 1905; et revera ad 1 Januarii sub littera E indicatur luna 25^a.

Q. 94. Quandonam ex Decreto Concilii Nicæni debet celebrari Pascha?

R. Pascha ex Decreto Sacri Concilii Nicæni celebrari debet die Dominica quæ sequitur decimam quartam seu plenam lunam lucentem post 20^{am} Martii.—In Breviario dicitur quod Pascha celebrari debet die Dominica quæ proxime succedit decimæ quartæ Lunæ **primi mensis**, et additur: « is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cuius decima quarta Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel proprius ipsum sequitur. » — Celebrari ergo numquam potest Pascha ante 22^{am} Martii, nec post 25^{am} Aprilis; etenim, ut quamprimum Pascha celebrari possit, requiritur ut 21^a Martii, occurrat Sabbato, et simul hac die habeatur 14^a luna : die sequenti Dominica, 22^a Martii erit Pascha. — Ut quam tardissime

celebrari possit, debet 14^a seu plena luna haberi 20^a Martii; 14^a luna sequens tunc habebitur 18^a Aprilis sequente ; debet insuper 18^a Aprilis occurrere die Dominica : Pascha tunc celebrabitur 25^a Aprilis, quæ est dies Dominica sequens 14^{am} seu plenam lunam 18^a Aprilis, quæ prima plena occurrit post 20^{am} Martii. Celebratio hæc tardissima occurrit anno 1886.

Q. 95. Indica usum Tabularum Paschalium, pro determinando Paschate anni cujuscumque.

R. In omni Kalendario Breviarii Romani delineantur duæ Tabulæ Paschales pro determinando Paschate anni cujuscumque ; et deinde Tabella Festorum mobilium pro annis in ipsa Tabella assignatis, quæ ideo vocatur Tabella temporaria.

I. Prima Tabula delineata vocatur **Tabula Paschalis antiqua reformata** ; ad Paschatis diem alicujus anni determinandum, in ipsa quæritur primum Epacta anni aliunde jam nota, dein Littera Dominicalis anni (posterior, si annus sit bissextilis) occurrens prima vice infra Epactam : e regione istius Litteræ Dominicalis continentur suis diebus occurrentia omnia Festa mobilia anni, inter quæ Pascha.

Exemplum : Epacta anni bissextilis 1904 est XIII ; Littera Dominicalis posterior est B : e regione B primo adscriptæ post Epactam XIII reperitur Pascha ad 3 Aprilis. — Epacta anni 1905 est XXIV, littera Dominicalis est A : e regione A primo adscriptæ post Epactam XXIV reperitur Pascha ad 23 Aprilis.

II. Secundo delineatur **Tabula Paschalis nova reformata** ; in qua ad Pascha determinandum quæritur Littera Dominicalis anni (posterior, si annus sit bissextilis) ; juxta hanc Litteram quæritur Epacta anni ; e directo deprehenditur Dominica Paschæ e regione Epactæ.

Exemplum : Anno bissextili 1904 Littera Dominicalis posterior est B ; quæritur in cellula sequenti Epacta XIII (13); e regione istius Epactæ in secunda linea occurrentis notatur Pascha occurrens 3 Aprilis. — Anno 1905 Littera Dominicalis est A ; quæritur in cellula sequenti Epacta XXIV (24); e regione istius Epactæ in quinta linea occurrentis notatur Pascha occurrens 23 Aprilis.

Constituto Paschatis die, facile decernuntur Festa mobilia, quæ ad motum Paschatis moventur, et sunt: Septuagesima, Dies Cinerum et initium jejunii Quadragesimæ, dein post Pascha, Ascensio, Pentecostes, Corpus Christi, quibus addere juvat SS. Cor Jesu; item determinatur numerus Dominicarum post Pentecosten ante Adventum.

NOTA. Sequens Tabula indicat terminos extremos Festorum et Officiorum quæ præcedunt vel sequuntur Pascha et ad motum Paschatis moventur:

Occurrente Paschate 22 Martii..... 25 Aprilis,
occurret
Septuagesima..... 18 Januarii..... 21 Februarii.
Dies Cinerum..... 4 Februarii... 10 Martii.
Ascensio..... 30 Aprilis..... 3 Junii.
Pentecostes..... 10 Maii..... 13 Junii.
SS. Corpus Christi.... 21 Maii..... 24 Junii.
SS. Cor Jesu..... 20 Maii..... 2 Julii.
Numerus Dominicarum.
post Pentecosten erit 28..... 23.

III. Tertio delineatur Tabella temporaria Festorum mobilium, in qua primo intuitu reperiuntur indicata quæcumque pro Kalendario mobili alicujus ex assignatis annis necessaria sunt; nempe Festa mobilia inde a Septuagesima usque ad SS. Corpus Christi, necnon numerus Dominicarum Pentecosten inter et Adventum, et dies in qua occurrit prima Dominica Adventus.

NOTA. Novam rationem Pascha facilime inveniendi, ejusque per annum dependentias, exponunt Ephemerides Liturgicæ (XV, 1901, pag. 150). Ibidem etiam exponitur super Kalendario studium, in quo concluditur ad perfectionem Kalendarii Gregoriani, quæ everteret totum ordinem tam civilem quam ecclesiasticum hactenus servatum (XIII, 1899, pag. 332.). Sufficiat hæc ibi indicata haberi.

ARTICULUS II

DE KALENDARIO

Q. 96. Quid intelligitur per Kalendarium?

R. 1º Etymologicæ Kalendarium a Kalendis dictum est; Kalendæ autem (a verbo καλεῖν, vocare, calare)

dicitur primus dies cujusque mensis, quo apud Ethnicos Pontifex populum calabat, id est convocabat, ad pronuntiandum, peracto sacrificio, quot numero dies, quinquene an septem, a primo ad Nonas superessent. Postea vero, conscriptis Fastis et Kalendario constituto, cessatum est a calatione, mansit tamen vocabulum Kalendarum et Kalendarii.

2º Kalendarium vocatur in Breviario, inter præludia, elenches seu tabella duodecim mensium anni, a Januario ad Decembrem, et dierum uniuscujusque mensis, a primo ad ultimum; apposito catalogo Festorum Domini et Sanctorum, quæ per annum determinata die in universalis Ecclesia celebrantur.

3º Kalendarium generatim sumitur pro coordinatione Officiorum et Festorum, tum immobilium, tum mobilium in anno. — Multis diebus in anno, uti videre est in Tabellis duodecim mensium anni, assignantur Festa Domini, B. Mariæ V., ac Sanctorum, et Officiæ his diebus celebra, ideo dicta fixa seu immobilia. Cum vero ex mobilitate Festi Paschatis, Cyclus Paschatis et Cyclus Pentecostes, inde a Dominica Septuagesimæ, imo a nonnullis ex præcedentibus Dominicis post Epiphaniam, usque ad Adventum, quotannis alium occupent locum, unde hæc Festa et Officia dicuntur mobilia; cumque insuper quotannis Littera Dominicalis mutetur: fit ut Festa et Officia mobilia sæpe cadant in dies quibus Festa vel Officia fixa assignantur: unde necessaria est quotannis aliqua horum omnium coordinatio.

Ex dictis patet quotannis necessario dari diversum Officiorum ordinem pro maxima parte anni, tum ex mobilitate Festi Paschatis, tum ex variatione Litteræ Dominicalis. Raro datur idem omnino ordo; recurrat equidem singulis circiter sex vel septem annis eadem Littera Dominicalis, sed remanet tunc regulariter varietas pro Paschate; si autem utrumque ex his anni elementis idem est, idem erit ordo; ex. gr., anno 1898 eadem est Littera Dominicalis B, et Pascha celebratur eadem 10 die Aprilis, sicut anno 1887: idem fuit anno 1898 ordo Officiorum qui fuit anno 1887. Ratio autem habenda fuit novitatum quæ interea ab anno 1887 supervenerint tum pro novis Festis celebrandis, tum pro ipsis Rubricis Officii.

4º Kalendarium etiam dicitur ipse Ordo divini Off.